

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

vifum fuerit, & vitam meam in manibus meis circumfero. Nollem tamen Deum tentari. Ideo mihi posthac itineris mei ratio ita instituenda erit, ut me temere in periculum aliquod coniecisse non videar. Filii tui honeste, modeste, piè & sanctè nobiscum vivunt, & nihil dubito, eos expectationi Tuæ satis facturos. Quorum uterque ante meum discessum publicè respondebit, de quibus, ut spero, coram testificabor. Bene & feliciter vale, & universum Collegium vestrum meo nomine amanter salutabis. Bene & feliciter vale. Raptim Eßlingæ, 10. Martii, 1572.

Tuus ex animo frater

Jacobus Andreæ, D.

XCII.

De Persona Christi.

CRedimus & confitemur juxta symbolum Athanasii, quod licet Christus sit Deus & homo, non duo tamen sed unus sit Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo. Ita Deus & homo unus est Christus. Communicationem vero idiomatum Naturarum in Christo neque verbalem dicimus, qua Christo secundum humanam Naturam, quæ in Deum assumpta est, nudi tituli dignitatis & honoris tribuuntur: Neque realem illam Eutychianam & Suensfeldianam, qua Natura humanana Divinæ per essentiali & proprietates essentielles exæquetur, sed talem, qua propria unius Naturæ prædicatur de tota Personæ in concreto, quæ prædicatio immota, certitudinem & veritatis causam & fundamentum habet illam impervestigabilem & æternam cum Naturæ humanæ conjunctionem. Ex qua immutabiliter sequitur, ut quod proprium est alterutri Naturæ, hoc verissime dici possit de hac persona, quæ non tantum nomine tenus, sed revera est & manet in omnem æternitatem DEUS & homo.

Hæc unio personalis, sicut & seipso ad Dexteram DEI patris, præsentiam corporis & sanguinis Christi in cæna Dominica non modo non evellit, sed eandem etiam nobis confirmat, & possibilitatem voluntatis Christi demonstrat, quæ voluntas nobis verbis Christi in Cæna Dominica simplicissimis, *caro et sanguis patris* intellectus patefacta est, in quibus etiam sacramentalis præsentia ejusdem fundata est.

Quo-

Quoniam etiam metuo, ne forte de communicatione Idiomatum nova contentio exoriat, de eadem etiam cum Witrenbergenſibus juxta hanc formulam contuli. De ea etiam cupio veſtrum audire judicium. Quod ſi intra hos limites nos contineamus, ne vel verbalis dicatur, vel Eutychniana Realis, in medio relinquitur perſonalis, quæ fundamentum habet rem verè exiſtenteſ, unionem perſonalem duarum Naturarum in Chriſto inexplicabilem. Hoc modo curioſis & contentioſis ingeniis occaſio litigandi præcideretur, & nova certamina caverentur.

Jacobus Andreæ.



XCIII.

Salutem in Domino.

Jam me Ulricus noſter, opinor, tibi excuſavit. Sed tamen cum paululum eſſet relictum temporis, volui ego ipſe tibi ſignificare, me & deſiderata veſtra accepiſſe literas, & in iis animum Illyricanis actionibus fatigatum vehementer recreaſſe. Quo loco Neſtoriana cauſa ſit, ex parentis literis jam cognoſces: & per M. Suarci-um, quem tamen nondum vidi, abunde cognoſces. Jam hoc ſolum ſignificandum putavi; Sturmium abſoluta prima Tuſculana quæſtione, in qua deſidioſè negligenterque verſatus eſt, ſuſcepſiſſe imitandam eam tractationem, & ſub L. Arrii Senecæ perſona de morte Chriſtiane philoſophari incepiſſe, quod quale *θολόγημα* futurum ſit, ex duabus ſcholis nondum potuit apparère; ex ſuperiorum temporum memoria & horum hominum conſuetudine non poteſt eſſe obſcurum. Curabo autem ut ea, quæ dictaverit ſemper habeas, & quidem per Suarciurum lectiones primas. Tabulario jam dabo, ſi ferre non recuſabit, Schegkiana *φιλοſοφίματα*: nam nondum ſum ei locutus. Illyricus poſtremo ad Conſilium Paſtorum vocatus me internuncio venire detrectat: & eſt manetque Illyricus. Recitavi his diebus de ſcripto omnes Paſtorum cum eo actiones Diaconis, qui Paſtorum induſtriam probant: credo aliqui veritatis ſtudio, ſed me Chriſte non pauci temerario Illyrici odio; quos ſi interroges, quare? non plus haberent, quod respondeant, quam ille, qui Ariſtidem *ἄρα ψῶρα* notaverat. Quo magis juſtus eſſet metus tuus *ἐν τῇ κατ' οἴκους ἰπποκράτῃ*, ſi non nos tantum viſitandos ſuſcepſiſſent Paſtores. nam ad me nihil iſta attinent, qui eandem doctrinam cum hac Eccleſia profitentur, aut eam publice non impugnant, h. e. qui oves eſſe volunt hujus ovilis, & diſtingui ſe cupient à cæteris. Sed de his proximis literis. Jam accipe Orationem Roſarii, Græci Profeſſoris apud Venetos, quam nondum vos habere intelligo. Bathodius, de quo quæris, eſt nullus, magnus, malus piſcis, Epicuri de grege porcus, & habet dominum, cereum in vitium ſecti. Non

Fff 3

credo